



EXERCITATIO INAUGURALIS, 132 2

DE

STUDIO THEOLOGICO,

QUAM,

n. 44 by Victor de Justif.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

Serenissimo Principe ac Domino,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRANDENBURG. &c. &c. HEREDE;

PRÆSIDE,

VIRO ADMODUM REVERENDO,

DN. JOACHIMO JUSTO BREITHAUP,

S.S. Theol. Doct. & Prof. P. Seminarii Theol. Direct.

& Confil. Eccles. Duc. Magdeb.

PROMOTORE SUO ÆTATEM COLENDO;

*U. Hark. 1708 p. 235
1714 p. 463. 462. 694.*

Pro

SUMMO IN THEOLOGIA GRADU ACADEMICO

OBTINENDO,

A. C. MDCCII. d. 3. Nov. horis ante & pomeridianis
publice proponit

HENRICVS LYSIVS,

Designatus, in Academia Regia Regiomontana, S. S. Theol.

Prof. Publ. Extraord.

Halæ typis Orphanotrophii 1702.

EXERCITATIO INAUGURALIS
DE

STUDIO
THEOLOGICO

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
Serenissimo Principe ac Domino
FRIDERICO WILHELMO
REGIBORUM ET ELECTORUM BRAN-

A. G. Granth. de definitione, methodo et fine studii theol. gab. by Borel.

DR. JOACHIMUS JUSTO BRITTAHAPT
S. S. Theol. Doct. & Praef. P. Seminar. Theol. Dierf.

8. Consil. Reol. Duc. Magdeb.
PROMOTORE Sive ASTRUC CORNADO
Seno in Theologia Gradus Academicus
A. C. MDCCII. d. 3. Nov. horis ante & pomeridianis

HENRICUS LITVINS
Designatus in Academia Regia Ratisbonensis, S. S. Theol.
Typ. Publ. Exposit.

Haec typis Ophitographii 1702



In nomine Domini nostri Jesu
Christi.

PROOEMIUM.

§. I.



Arias in via salutis esse *μεθοδείας*, qui experientia ipsa non novit, a Paulo illud addiscere potest, ex epistola, quam scripsit ad Ephesios, in qua cap. 4: v. 14. & cap. 6: v. 11. *μεθοδείων* & diaboli & hominum mentionem facit, & non nisi virtute divina ab iis præservari nos posse docet. Quam vero Diabolus cum organis suis diligentiam ad-

Varietas μεθοδείων

hibet, in seducendis peregrinantibus in hoc mundo, eam sane intendit multo magis, quo eos, qui aliis viæ duces destinati sunt, à veritatis tramite in devia quæque declinet.

§. II. Non operæ pretium judico, hic enumerare errores plurimorum, qui *ὡς ἐν μεθόδῳ* & per compendium in perniciem rapiuntur, studiosi dicti Theologiæ; quorum si vitam consideras, putaris, ei rei illos operam dare, ut perfecti ἐν κόσμῳ ἄθεοι evadant. Argui enim hi erroris proprie non possunt, cum sua sponte errent, ut pote qui jura Dei cognoscentes, quod, qui ista faciunt, morte digni sint, nihilo tamen minus ista faciunt non solum, sed & assensum facientibus præbent. Rom. I. v. 32.

Ἀσέληνα καὶ ἄσωτα.

A

§. III.

Ὁφθαλμὸς πο-
νῆρας.

§. III. Horum censui nisi adnumerandi sunt, non longe tamen ab iis distant, qui ad gloriam, victum aut cætera hujus vitæ commoda venanda, studia sua dirigunt; neque excusandi, quando vana distinctionis inter scopum *primarium* & *secundarium* applicatione, à Satana decepti, secundarium sibi esse putant, quorsum oculos omnesque ingenii vires intendunt.

*Præjudicium
ex multitudine
errantium.*

§. IV. Deplorandus est magis error eorum, qui iustæ quidem sequi decreverunt, oculisque in verum scopum defixis viam aggrediuntur; multitudine tamen errantium, quos eodem secum tendere arbitrantur, in devia, istorum immixti turbæ, vel inscii abducuntur & inviti, semperque discentes nunquam ad veritatis agnitionem perveniunt.

Scopus instituti.

§. V. Sed quisnam omnes enumerabit *μεθοδείας καὶ ἀπάτας*? quæ quidem pericula angustæ semitæ adaugent, attentumque & vigilem requirunt viatorem. Paululum nos de vera salutis via acturi, spectabimus nonnulla, ad methodum studii Theologici recte instituendi pertinentia. Si quis multa deesse viderit, adjunget, quod adjungendum censebit: quæ properantibus nobis obvia fuere, proponimus, credentes, paucis sapienti multa dici posse, nec dictum iri unquam, quæ omni ex parte dici possunt.

CAPVT

CAPVT I.
DE VERO VERÆ THEOLOGIÆ
STVDIO IN GENERE.

§. I.



Theologia cum derivatur a λόγῳ περι Θεῶν, stultum sane foret, per λόγον intelligere externum modo sermonem, ore prolatum, aut chartæ inscriptum, sine habitu mentis recte de Deo rebusque divinis cogitandi, sentiendi, judicandique. Quid enim λόγῳ sine λόγῳ, seu sermo sine ratione? nisi Psittacorum garrulamentum. Jam

Apostolorum tempore ματαιολογίαν ejusmodi pro Theologia venditatum esse, Paulus testatur 1. Tim. 1. v. 6. 7. asserens; quosdam variè de variis quæstionibus disputantes, *divertere ad ματαιολογίαν, volentes esse legis Doctores, quum non intelligant, quæ loquuntur, nec ea, de quibus asseverant.* Si definitio horum Matæologorum petenda est ex antecedenti descriptione, & omnes isti hoc titulo insigniendi, qui a scopo & fine mandati, qui est *charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta*, aberrant ad varias disceptationes; heu! quantus eorum numerus inveniri poterit!

§. II. At vero nostrum quia est, veræ Theologiæ semitas delineare; præsupponimus, eam esse HABITVM MENTIS PRACTICVM, juxta rerum divinarum indolem recte sentiendi, dicendi, atque agendi. Quarum partium si quid vero Theologo potest non inesse, dicendi est facultas; mutum enim, quid impedit, esse Theologum? rectè vero sentiendi agendique facultatem à Theologo vero separari non

posse, inde patet, quod unâ remorâ simul & altera tollatur, ipse autem Theologus esse nequeat.

Quod ab omnibus orthodoxis concessum præsupponitur.

§. III. Hæc ex communi sententia Theologorum orthodoxorû præsupposita, suppeditabunt quoq; delineamenta quædam veri studii Theologici, illuc spectantis, ut κατὰ Θεὸν, sentire, agere, loqui discamus. Gerhardus in Isagoge ad studium Theologiæ præcæ: *Theologia studium est ignorantie in rebus spiritualibus nobis connata, atque ἀταξίας in affectibus hærentis remedium, ad sanctitatis & pietatis studium ὁμνητήριον, quotidie Deum in verbo audiendi & cum Deo per preces colloquendi medium, adeoque sanctissima & beatissima illius societatis, quam in cælo expectamus, quoddam præludium. Dignitas eius a Deo, utilitas a pietate, necessitas a salute nostra æstimanda.*

Αἰδιὸς Θεὸς δύναντος καὶ θεοτόης, non terminis solum memoriæ mandatis, sed sensu quoque spirituali percipiende sunt.

§. IV. Infinitæ bonitatis divinæ communicativæ est, quod αἰδιὸς αὐτῆ δύναντος καὶ θεοτόης, non verborum tantum sono nobis enarrata sit, terminis quibusdam technicis inclusa, auribus memoriæque mandandis; sed quod intimo cordis sensu percipiendam, gustandam, palpandam, hanc nobis patefecerit, & communicaverit. Non enim credendum, inanes sine rebus voces, & Catachresticas tantum locutiones esse, quibus divinum verbum de facultatibus αἰσθητικῶν πνευματικῶν, & de αἰσθητικῶν spirituali utitur [Conf. Heb. V. 14. Philip. I. 9.] inquitur Act. XVII. 27. Deum sic velle queri ab hominibus, ut eum inveniant & palpent, (εἰ ἄρα γε ἠγλαφήσειαν καὶ ἔργοισιν) quoniam non longe abest ab unoquoque ipsorum. Quorsum, nescio, anne referri possit illud Iohanneum I. ep. I. 1. ubi in plethrophoria doctrinæ, quam prædicabat, dicit, *manus suas palpas se hoc de verbo vitæ, quod auditoribus suis annunciabat.*

Fideles Deum palpant.

Vocem ejus audiunt. Speciem ejus vident.

Ab eo discunt.

§. V. Ioh. V. 37. Christus Judæis infidelibus exprobat, quod patris cælestis vocem nunquam audierint, neque speciem ejus viderint, & verbum ejus non habuerint in ipsis manens. De iis autem, qui verbum Dei habeant, inquit: Ioh. V. 45. *quod audiendo à patre discant, & ita sint ΔΙΔΑΚΤΟΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ*, et Cap. XIV. 7. *quod videant Patrem.*

§. VI.

§. VI. Quemadmodum igitur seipsum sensibus spiritua-
libus filiorum suorum Deus manifestat, sic omnia quoque atri-
buita sua efficaciter & communicative hominibus, pro eo-
rum conditione, offert. Quisnam justitiæ divinæ sensus in
Davide fuerit, Psalmi, v. c. sextus & trigessimus secundus, testan-
tur. Ad gustandam autem benignitatem divinam idem ho-
mines, Pl. XXXIV. 9. invitat; & gustatam eam esse ab audi-
toribus suis, non dubitat Petrus 1. e. II. 3. *Sapientia divina eum
in finem emittitur à sanctis caelis, & à throno gloriae divinæ, ut præ-
sens versetur cum hominibus in labore ipsorum, & hi cognoscant, quid
gratum sit apud Deum.* Sap. IX. 10.

*Sensus justitiæ
divinæ.*

*Gustus suavitatis
divinæ.*

*Communicatio
sapientiæ divi-
næ.*

§. VII. Eodem modo gustant veri fideles dona cœlestia,
jucundum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi Ebr. VI. 4. 5. instar
enim cibi & potus ipsis suppeditatur hoc manna cœleste, hæc
aqua vitæ. Ioh. cap. IV. cap. VI.

*Gustus dono-
rum cœlestium.*

§. VIII. Hinc videre est, veram rerum Theologicarum
cognitionem à sensu procedere ad intellectum, nullamque
dari veram earum ideam, ubi non spiritualis fuerit oculus.
Verumne enim de divina justitia conceptum esse credis pec-
catoribus obstinatis? aut de misericordia, qui ea ad confor-
tandam malitiam suam abutuntur? aut de spiritualitate, quo-
rum mens, in corporibus unice defixa, ne de propria quidem
animâ unquam sollicita fuit?

*Cognitio Theo-
logica spiritua-
lis procedit à
sensu spirituali
ad intellectum
spiritualem.*

§. IX. Eadem est ratio rerum infernalium, quippe qua-
rum vitiositas non potest discerni & debito modo observari,
ni protrahantur in lucem, omnis veræ ideæ genitricem. In
tenebrosam enim foueam, serpentibus refertam, abstrusus qui
fuerit, eo magis gelida sociorum cute delectabitur, quo ma-
gis eorum morsu sanguis inflammabitur, medicum judicans
interentorem suum. Accedit, quod ἀφώρισον hoc regnum
torpido quodam sopore incolas suos opprimat, suavibusque
forniorum delectationibus à vulnerum cura & contempla-
tione sensus abducat.

*Sic quoque co-
gnitio peccato-
rum.*

§. X. Eandem sententiam fouisse Augustanæ confes-
sionis autores, undique patet. Semper otiosam & experientiâ

*Testimonium
Apol. A. Conf.*

*v. l. 166. p. 104.
p. 141. 142.*

vacuam Pontificiorum Theologiam redarguunt, & ad sensum & experientiam Theologicam provocant. Apol. Aug. Conf. art. de Justif. *Donec humanus animus OTIOSUS EST, NEC SENTIT iram aut iudicium Dei, fingere potest, quod velit Deum diligere, &c. &c.* Deinde: *Tota hæc res conficta est ab OTIOSIS hominibus, qui non norunt, quomodo contingat remissio peccatorum &c. Nunquam possunt experiri. quid sit fides, & quam sit efficax.*

Testimonium
Calovii.

§. XI. Calov. Isag. L. 2. cap. 4. *Tertium requisitum est tentatio, que nihil aliud est, quam exploratio quadam practica nostri profectus in Theologia, dum vel ab infirmitate carnis nostræ sollicitamur, vel cruce divina probamur, vel cribrationi Satanae subjicimur, quo fides nostra confirmator reddatur, bonique evadamus Practici Theologi. Tentatio & mentem informat, & voluntatem perficit. MENTEM informat, quia vexatio dat INTELLECTUM. Ef. XVIII. 29. & παθήματα. Non tentatus vero qualia SCIT? Syr. XXXIV. c. XLI. Ubi ergo multum crucis, ibi multum LUCIS. Tentatio est quidam veluti SENSUS SPIRITUALIS, ET EXPERIENTIA ORACULORUM DIVINORUM PRACTICA. Docet enim tentatio non solum SCIRE, sed etiam SENTIRE, ET EXPERIRI certitudinem, veritatem, suavitatem, efficaciam & consolationem verbi, quod id sapientia sit supra omnem sapientiam: dicente Lutero super Ps. 118. Facit, ut SENTIAMUS IN EXERCITIO VERÆ POENITENTIÆ Dei justitiam, ac iram, ut GUSTEMUS in exercitiis fidei & invocationis Dei bonitatem ac misericordiam Of. XXXIV. 9. 1. Pet. II. 2. ut prægustemus in verbi delictis & divitiis venturi seculi bona, virtutes & gloriam. Ebr. VI. 4. Tentationibus carere non posse studiosum Theologia, docet Syr. II. 1.*

Differentia inter
cognitionem experi-
mentalem &
historicam.

§. XII. Hinc & irrogenitis aliquo modo conjicere licet, quanta sit differentia inter cognitionem vivam experimentalem, & historicam; tantam sc: quantam inter figuram hominis & hominem ipsum, nullius autem hominis lingua sufficienter explicabilem; idque non solum ratione causæ efficientis, conditionis subjecti, fructuum, aliorumque, quibus toto cælo differunt, sed & ratione formæ ipsius & cognoscendi modo. Quinimo tanta non est diversitas conceptuum cæci & visu præ-

præditi de coloribus, eorumque diversitate, quanta est differentia conceptuum Theologicorum, qui sunt in vero Theologo, & in Theologastro, quamvis hic in omnia verba veræ Theologiæ systematis jurasset.

§. XIII. Patet quoque exinde, quam inseparabiles in Theologicis sint vera scientia & affectus congruus, cognitio recti & actio seu executio. Quoniam enim omnis fere Theologia illuc redit, ut de benevola à Deo per Christum inchoata instauratione, atque æterno in refragantes zelo, agat; certe nec miseriæ suæ magnitudinem, nec instaurationis beneficium agnoscere dici potest, qui nullo neque mali affligentis tædio, neque beneficii promissi desiderio efficaci afficitur. Unde, qui, peccato vere agnito, vel eo delectatur, vel eam pestem non detestatur; ille tibia quoque fracta, de acquisita ad saltandum habilitate lætabitur, alteramque volens comminuet.

In Theologicis inseparabilia sunt, vera scientia & affectus congruus, cognitio recti & executio.

§. XIV. Supervacaneum igitur credimus fore, si prolixâ demonstratione probaremus, recte agendi facultatem ad habitum Theologicum requiri quam maxime; cum rei ipsius natura illud edoceat. Hinc citante Gerharo in tract. de meth. stud. Theol. rectissime Rabbini: *Esse sapiens factis, non verbis. Sapiencia enim, quæ est in factis, proderit tibi in futuro seculo; sed quæ in verbis tantum, hic remanet.*

Recte agendi facultas requiritur ad habitum Theol.

§. XV. IDEM IBID. Capite II. *Quamvis studium pietatis ab omnibus omnino Christianis requiritur: cum primis tamen ac speciali quadam ratione in illis, qui Theologiæ suam addixerunt operam, ac ad Ministerium Ecclesiasticam aspirant, vel eo iam tum funguntur, vigere debet morum honestas, vitæ integritas, seria ac sincera pietas.* 10. *Initium sapientiæ timor Domini, dicit Psalter Regius Ps. CXI. v. 9. Ergo ubi non est verus Dei timor, sincera pietatis fundamentum, ibi vera ac celestis sapientiæ non habet locum.* 2. *Jacobus cap. III. v. 17. distinguit inter sapientiæ spiritualem & carnalem. Illam vocat ἀνωθεν κατερχομένην, eamque sic describit, quod sit ἀγνή, εἰρηνική, ἐπιεικής, εὐπειθής, μετῆ ἐλέως, καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος, ἔκ ἀνυπέκριτος, hanc vero vocat ἐπί*

Testimonium Gerhardi,

ἐπίγειον, ψυχικὴν καὶ δαιμονιώδη. Ergo ubi non apparent isti fructus & proprietates cœlesti sapientie attributa, ibi ipsa quoque cœlestis sapientia non habet locum. 3. In malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, inquit autor libri Sap. I. 4. Ergo ubi peccatis dominium conceditur, ibi cœlestis sapientie acquisitio frustra speratur, 4. Spiritus S. est VERUS ET INTERNUS ILLE DOCTOR, qui ducit in omnem veritatem, Iob. XVI. 1. Iob. II. 27. Cathedram in cœlo habet, QUI INTUS DOCET. Atqui non habitat in corde peccatis subiecto. 5. Qui in tenebris peccatorum ambulat, easque amat, non potest ad lucem spiritualis cognitionis aspirare; unde graviter pronunciat Apostolus 2. Cor. IV. 4. quod Deus hujus seculi excœcet mentes infidelium, peccatorum sc. tenebras amantium, ne fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi. 6. Vera Theologia in AFFECTU potius, quam in nuda cognitione consistit. Scal. ex. 148. sect. 4. similiores nos esse Deo Opt. Max. bonitate, quam sapientia, asserit. Consistentur se nosse Deum, sed factū negant, inquit Apostolus de Pseudo-Theologis & Pseudo-Christianis. Tit. I. 16. ex quo evidenter colligitur, quod vera & salutaris cognitio non solum in verbis, sed in factis consistat, non in sola confessione oris, sed etiam in affectu cordis & executione operis. 7. Surge qui dormis, exurge à mortuis, & Christus te illuminabit, dicit Apostolus Ephes. XIV. Ergo vera & salutaris illuminatio non potest habere locum in illis, qui lethargo animæ oppressi, mortuis operibus peccatorum delectantur.

Testim. Calovii.

§. XVI. Neq; aliter sentit Calovius in Ilagoge ad Theologiam L. 2. p. 51. Spiritus Sanctus VERUS ET UNICUS DOCTOR non habitat in corde peccatis subiecto, Iob. XVI. 13. 1. Iob. II. 27. Mundus non potest accipere Spiritum veritatis Iob. XIV. 17. Theologia studiosus versatur circa sapientiam cœlestem, que non carnalis est, sed spiritualis & sancta Iacob. III. 15. Cujus nitium est timor Domini, Ps. II. 9. Prov. I. 7. cap. IX. 10. (4) Theologia non consistit in mera cognitione, sed affectu & praxi. Res nostra religionis, ait Justinus, non in verbis, sed in factis consistunt. (5) Beatus, qui Scripturas convertit in opera, ajunt veteres: hoc si sciveritis, aut Christus, beati, si feceritis. Discipuli ergo Christi sic scruta-

ri

ri debent scripturas, ut easdem in praxin convertant, & quod sciunt, faciant. (6) Econtra vero non intrat sapientia in animam malignam, nec habitat in corpore peccatis subdito. Sap. I. 4. Qui ergo peccatis indulget, Sapientia domicilium fieri nequit. (7) Ut Levita, priusquam ingrederentur in tabernaculum, ablui debebant, Exod. XXX. v. 18. 1. Reg. VII. v. 13. 2. Par. IV. v. 2. sic veræ sanctificationi & purificationi vitæ studere debent, qui aliquando in tabernaculis Domini ingredi & egredi volunt.

§. XVII. Quandoquidem vero & dicendi habitum requisivimus in Theologo, paucis adjungendum censemus, non alium nos intelligere, quam eum, de quo Paulus gloriatur. 2. Cor. IV. v. 14. inquit: *Quoniam habemus eundem spiritum fidei; secundum illud, quod scriptum est; credidi, & ideo locutus sum: non quoque credimus, quare etiam loquimur.* Et I. Cor. II. v. 13. *Loquimur (sapientiam Dei) non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus S.*

Dicendi facultas.

§. XVIII. Hæ autem facultates omnes tanto ἀκριβες ἐργαί in Theologo requiruntur, quanto fastigium Theologiæ figuratur sublimius, quam Christianismi communioris. Hinc non in Theologo sufficiunt habitus exercitati, sed exercitiores desiderantur, quo possit demonstrare, & explicare, & defendere fidum sermonem, qui in docendo adhibetur, & cohortari sana doctrina, & contradicentes refellere. Tit. I. 9.

Ἀκριβὲς ἔργαί
Theologia.

§. XIX. Hæc de natura veræ Theologiæ dixisse, satis est: præsertim cum in sequentibus quædam prolixius sint diducenda; & quæ jam dicta sunt, satis superque evincant, non omnem studii Theologici partem lectione absolvi, & eum, qui illud ingressurus fit, in ipso veritatis limine obvia sibi inuenire multa & afficienda & efficienda, quæ non intromittant nisi primo certamine probatum, nec intromissum desidem speculatorem ferant, quem non ejiciant foras.

Theologia agilem requirit discipulum.

CAPUT II. DE ORDINE STUDII THEOLOGICI.

§. I.

Theologia studium omnium Christianorum est.

Studium Theologicum non uni atque alteri Ecclesiæ Christi membro solū competere, sed omnium omnino esse Christianorum, nullosque nisi veros veræ Theologiæ studiosos regnum Dei intrare posse; si vis vocis spectetur, res est in propatulo. Sed quia verba valent, ut numi; in strictiore significatione & nos hanc vocem adhibebimus, intelligentes per studium Theologicum, quod ad distinctam ἀκριβειαν quandam redigitur, ut ita etiam per habitum sensus exercitati acquirantur ad discretionem boni & mali, quo quis aliis quoque eo exquisitius Dux & Doctor præesse possit. Quanto igitur majus est ædificium, quod sibi Theologiæ Studiosus exstruere allaborat, quam casulæ, quæ Laicis vulgo assignantur; tanto firmiter sine dubio ponendum est fundamentum ex principiis architectonicis Christi Math. VII. v. 24.

Primum Theologici studii elementum est μετάνοια.

§. II. Quodnam vero hoc fundamentum sit, verbis maxime perspicuis explicat Paulus Ebr. VI. v. 1. definiens illud, θεμέλιον μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, quod in præcedenti versu 12. cap. V. nominarat: τὰ σοιχῆια τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῶ θεῶ. Quemadmodum igitur aliorum se ludibrio expositurus esset, qui elementorum & primarum litterarum ignarus, vel ipse legere, vel alios legendi artem docere vellet: sic omnium infernalium spirituum cachinno deluditur, qui sine vero pœnitentiæ fundamento, primi hujus Christianismi & Theologiæ elementi inscius ac imperitus, divinum quenda n sacrorum studiorum profectum sperat.

At in ipso exercitia.

§. III. Quia quæstio hujus loci non est de eo studii Theologici, sive genere sive parte, quod tantum in addiscendis definitionibus, distinctionibus, dictis, objectionibus, refutationibus, exercetur; per se liquet, nos facile lar-

lar-

largiri, etiam impœnitentem naturali quadam diligentia ad magnum ejus fastigium posse pertingere. Sed hoc monendum, quoniam de nucleo simul cum nuce nobis sermo est; quod, pœnitentiam totius studii Theologici fundamentum & elementum nominantes, non loquamur de ea, quatenus definitionibus descripta, sed præcipue, quatenus definitio ejusdem praxi ipsa à Theologiæ cultore exercenda, & cordi applicanda est. Itaque volumus, recte quidem agere, qui & elementi hujus definitionem, distinctiones, probationes addiscat; veruntamen id præprimis curæ ipsi esse debere, ut, quæ verba cognovit, horum sensum in spiritu & veritate exerceat.

§. IV. Hujus rei *absolutam* necessitatem perspicimus ex testimonio Pauli I, Cor. II. v. 14. *animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea COGNOSCERE, quia spiritualiter dijudicantur.* Cum ergo omnem operam & oleum perdat, quicquid impendit, ad cognoscendas res Theologicas, quatenus vere spirituales, quisquis *animalis* adhuc, nec de spiritu spiritualis factus & regeneritus; nullus sane labor in jaciendo probe pœnitentiæ fundamento, tanquam vero regenerationis circulo impensus, frustraneus est æstimandus: quid, quod per omne ædificationis tempus in corroborando hoc fundamento continuandum est. Continuandum tamen dicimus, non in pœnitentia ab operibus mortuis, sed quotidiana *μεταβολας* renovatione. Alias repetenda essent opera mortua, quod à regenito absit, I. Joh. III. v. 9. aut justificati per Christum, peccatores censendi essent, & Christus peccati minister, quod etiam absit! Gal. II. v. 17.

§. V. Idem evincit *illuminationis* ordo: Nam Spiritus Sancti hanc operationem in initium sumere novimus ab arguendis peccatis. Joh. XVI. v. 8. Hoc primo lumine ad cognoscendas tenebras admisso, Deus illuminat quoque oculos ad cognoscendam spem vocationis, & divitias gloriæ hereditatis ipsius in sanctis. Quamdiu vero efficacis lucis hujus primæ resistitur, frustra diei splendor speratur. Quæ res tota pœnitentia, quam agit *Apologia Augustana confessionis*, in articulo

Absolute necessaria.

Spiritus S. in illuminatione prius arguit peccata.

Testimonium Augustane Confessionis.

ticulo de justificatione & fide justificante ; ostendens, nullam Christi veram agnitionem dari, nisi in corde contrito et orato.

Formul. Concord.
servd.

§. VI. Eandem sententiam professi sunt autores Formulæ Concordiæ articulo de libero arbitrio, respondentes primo in epitome : pag. 579. ad propositum statum controversiæ : *An propriis viribus homo, antequam per spiritum Dei fuerit regeneratus, possit sese ad gratiam Dei applicare &c. De hoc negotio hæc est fides, doctrina & confessio nostra : quod videlicet hominis INTELLECTUS & RATIO* (NB. non quæstio est hoc loco de voluntate & assensu, de quibus §. seqq. dictum est) *in rebus spiritualibus prorsus sint cæca, nihilque propriis viribus INTELLIGERE possint. &c.* Deinde in uberiori Declaratione p. 656. seqq. *Credimus, quod hominis non renati INTELLECTUS, cor & voluntas, in rebus spiritualibus & divinis ex propriis naturalibus viribus PRORSUS NIHIL INTELLIGERE, credere, amplecti, cogitare, velle &c. possint p. 657. Primo etsi HUMANA RATIO, seu NATURALIS INTELLECTUS hominis obscuram aliquam notitiæ illius scintillulam reliquam habet, quod sit Deus, tamen adeo ignorans & perversa est ratio illa, ut etiamsi INGENIOSISSIMI ET DOCTISSIMI HOMINES IN HOC MUNDO, evangelium de Filio Dei & promissiones divinas, de æterna salute, legant vel audiant : tamen ea propriis viribus PERCIPERE, INTELLIGERE, credere & vera esse statuere nequeant. Quin potius quanto diligentius in eare laborant, ut spirituales res istas sue rationis acumine indagent & comprehendant ; TANTO MINUS INTELLIGUNT & credunt, & ea omnia pro stultitia & meris nugis & fabulis habent, priusquam a Spiritu S. illuminentur & doceantur. Quid autem per illuminationem intellectus intelligant, explicant iidem pag. 673. Sic Deus trahit hominem, ut ex intellectu cæcato, illuminatus fiat intellectus. Quando autem hæc immutatio fiat, indicant pag. 675. Hoc enim certissimum est, in vera conversione immutationem, renovationem & motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate & corde. Quo ordine hoc fiat, sequentibus verbis docent : ut nimirum hominis mens peccata agnoscat, iram Dei metuat, à peccato sese avertat, promissio-*

nem

nem gratiæ in Christo agnoscat & apprehendat, piæ cogitationes animo agitet, bonum propositum habeat, atque diligentiam in moribus suis regendis adhibeat, & contra carnem pugnet. Ubi enim nihil horum sit, ibi procul dubio non est vera conversio, & per consequens, nulla immutatio intellectus, nullaque illuminatio.

§. VII. Ex his liquet, nullū omnino dignū studii theologici progressum, ante actam penitentiam & veram mentis conversionem ad Deum, sperandum esse. Unde quisquis ad hocce studium animus applicuerit, de elementis his addiscendis probe sit sollicitus, nec unquam plus satis se addidisse credat. Quicquid sive legat, sive audiat, illuc applicet; eaque potissimum legat, audiatque, quæ huc faciunt, ut stabililiatur in mente propositum, *faciendi voluntatem Patris cælestis*. Namque hoc firmato iudicio, aptus esse incipiet, ad *cognoscendum*, *quenam verba ex Deo, quenam ex eo non sint*. Joh. VII. v. 17.

Nullus studii
Theologici pro-
gressus ante ac-
tam peniten-
tiam sperandus.

Illuc omnia sive
lecta sive audita
sunt applican-
da.

§. VIII. Quamplurima hic sunt præstigiæ genera, quibus Satanas ingredientem per angustam hanc portam eludere conatur; ideoque summa cum diligentia cuius disquirendum est, verane an ficta fuerit, quam egit, penitentia? quænam propositi? quænam morum? quænam totius vitæ generis secuta sit immutatio? De quibus specialia hoc loco ponere *κρίτηρια*, infituti ratio non permittit.

Machinationes
Satanæ.

Examen infi-
tuendum, an
vere acta peni-
tentia.

§. IX. Hæc si minus recte se habent, *oculusque malus adhuc est, totum corpus erit tenebrosum*. Si enim lumen, quod in ipso est, *tenebræ sunt, ipsa tenebræ quantæ*? Matth. VI. v. 23. Et si vitam adhuc odit, quid, nisi odorem mortis, ex verbo vitæ haurire poterit? 2. Cor. II. v. 16.

Cui hæc lux non
oborta est, in
tenebrisambu-
lat.

Si vero recte hæc omnia? ulterius progrediendum, attamen caute. Docet hoc Petrus I. Epist. II. v. 2. jubens, ut modo geniti in Christo infantes lac illud sermonis sincerum expetant, ut per illud crescant, quippe qui gustarint, quod bonus sit Dominus. *ὡς ἀετιγέννητα βρέφη, τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιποθήσατε, ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε, ἕπερ ἐγεύσασθε, ὅτι χρῆστος ὁ Κύριος*.

Regenito in-
fanti crescen-
dum.

*Etiā quidam,
qui gustaverunt
suavitatem
Domini, sunt
modo nati in
Christo infan-
tes.*

§. X. Duo in hoc dicto ad propositum nostrum notanda veniunt. Primum est, quod etiam nuper geniti in Christo infantes gustaverint, quod bonus sit Deus. Unde sequitur, quod iis, quibus idem cum auditoribus Petri accidit, sc. ut gustent jucundam suavitatem Dei, non conveniat, credere, se cum Paulo in tertium cælum abreptos fuisse, virosque jam robustos esse: sed, quod tutius multo sit, assidua, infirmitatis meditatione à præsumptione animi præservare, viresque non in pace, sed in pugna probare.

*Infantibus lac
conferit, non
solidus cibus.*

§. XI. Alterum, quod verba citata docent, est, unde virum spiritualium & cognitionis incrementum infantibus in Christo petendum? Scilicet non statim cibo solidiori sollicitandus est stomachus, sed qui ætati huic convenientior est, lacte, nutriendus. Hinc viderint, quantum a scopo aberrant, qui primis studiorum annis per varia inutilium quæstionum senticeta spatiantur, & quicquid fructuum in iis occurrit, deglutiunt temerè.

*Secunda lectio
studiosi Theolo-
giae, fides.*

§. XII. Quænam vero prima, post pœnitentiam à mortuis operibus, addiscenda lectio sit, Paulus indicat citato loco: Ebr. VI. 1. secundo ordine collocans fidem in Deum: Non quatenus hæc definitione quadam describitur, sed quatenus jam per regenerationem in corde accensa, quotidiana praxi exercetur. Cui quidem negotio nullus dies, nulla hora, deerit, quin occasionem præbeat. Non impunè enim transfugam è castris suis abire permittit Satanus, quem non vel pollicitationibus vel minis revocare sategerit. Horum quicquid adhibuerit Sophista ille versutus, ipsa, & MEDITATIONI Ies. XXVIII. 19. & ORATIONI Ps. XVIII. 7. ansam dabit TENTATIO. 1. Pet. V. 8.

*Oratio, Medi-
tatio, Tenta-
tio.*

*In tentatione
exercetur fides.*

§. XIII. In hac arena quomodo crescat, & exerceatur fides, quam optime explicuit *Apologia Augustanæ confessionis* articulis de *Justificatione & impletionem legis*. Quæ omnia huc referre quia nimis prolixum foret, unicum hoc addemus, quod pag. 86. reperitur: *Fides illa, de qua loquimur existit in pœnitentia, hoc est, concipitur in terroribus conscientie, que sentit iram Dei adversus*

versus nostra peccata, & querit remissionem peccatorum, & liberari à peccato. Et in talibus terroribus, & aliis afflictionibus, debet hæc fides crescere & confirmari. Quare non potest existere in his, qui secundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditatibus suis, & obtemperant eis. Quare fides illa, qua accipit remissionem peccatorum in corde perterrefacto, & fugiente peccatum, non manet in his, qui obtemperant cupiditatibus, nec existit cum mortali peccato.

§. XIV. Hæc schola, hæc academia veræ Theologiæ est, in qua ad profectum optatum ferimur, aptioresq; reddimur ad percipienda mysteria Dei, de quibus tantum percipimus, quantum in hoc exercitio proficimus.

Academia vere
Theol.

§. XV. Dicendum adhuc restat de illo studii Theologici ordine, quem in libris legendis & disciplinis addiscendis observandū putamus. De quo in specie quidem in sequentibus capitibus agetur, in genere autem præmonendum censemus, necessaria præferenda esse utilibus, & hæc jucundis. Verum quo compendiosior hæc regula est, tanto prolixioris est applicationis.

Instituende le-
ctionis ordo.

§. XVI. Ancilla Theologiæ cum vocetur sapientia humana, Dominam sequatur pedissequa necesse est. Sed Biblica utrū lectio, an vero methodica sit præmittenda, dubitari solet. Coniungi hanc cum illa sine dispendio posse existimamus, dummodo analogia fidei ex Scriptura S. ipsa hauriatur, nō ex systemate solo inferatur. De utraque in sequentibus dicemus.

Sapientia hu-
mana.
Lectio Biblica.
Systematica.

CAPVT III. DE STUDIO BIBLICO.

§. I.

Triplex in huius Paschatis sacrificio consumitur labor: primus in maestando, coquendo, ac præparando: alter in comedendo: tertius in condendo illud amaris Ægypti. Primus erat patris familias, alter omnium, tertius conjunctus erat cum

Lectio Biblica
Paschati com-
paratur.

cum secundo, nisi quod per naturam lactis fugi infantes inde fuerint exempti. Mactatio, pellis detractio, coctio, versio-
nem & interpretationem nobis præfigurant. Comestio simplici-
cem applicationem ad usum spiritualem: Conditura cum a-
maris Ægypti, applicationem terminorum scholasticorum &
quæstionum Philosophicarum denotare potest. Utinam
suum sibi quisque hicumat officium, quo non nisi sancta
semper integritate hoc sacrificium offeratur.

*Scopus lectionis
conformis sit
scripturae
scriptio-
nis.*

§. II. Omne, quod hac de re dicturi sumus, ex eo, quod
jam dictum est, patet. Infantes ergo qui sunt in Christo, ex
cornu hoc copiam *ἄδολον γάλα* sibi hauriant, durioribus cibum
haud invidiosius adultioribus relinquentes. Eum igitur in fi-
nem dirigant lectionem sacri codicis, in quem à Spiritu S. di-
recta est scriptio ejusdem, sc. ut sit utilis *πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς
ἐλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ*. Quic-
quid igitur ex his sibi primo necessarium, juxta illud, quod
dictum est cap. 2. invenerint; primo quoque loco querant, &
lubentesque prætereant, vel quod ad talia non spectet, vel
quod eò applicari non possit.

Διδασκαλία.

§. III. Cum primum ergo quis sibi sit conscius, se vo-
luntatis divinæ inscium esse, *τὰ πρὸς διδασκαλίαν* querat; &
quod si fecerit, ejusmodi quid ubiuis, vel uberius explicatū, vel
argumentis demonstratū, vel similitudine quādā declaratū, vel
exemplo probatū, inveniet; id quod brevibus verbis compre-
hendit Paulus: 2. Tim. II. 19. *Desistat ab injustitia, quisquis no-
men Christi nominaverit*. Hanc doctrinam si probe probeq; menti
impreserit, iam bellum intestinum sentiet; quod necessi-
tate quādā coget ipsum querere ea, quæ ad *ἐλεγχον* rationis
præfractæ, *ἐπανόρθωσιν* voluntatis perversæ, & *παιδείαν* affe-
ctuum depravatorum faciunt. Atqui huic studio, cavebit, ne
nimis breve tempus impendat.

*ἔλεγχος, ἐπα-
νόρθωσις, παι-
δεία.*

*Objectioni oc-
currunt.*

§. IV. Sed ad pietatis profectum, inquires, non studi-
diorum hæc spectant. Verum erras, mi homo. Nonne im-
posterum, si aliis aliquando magister fueris præponendus, in
his præcipuus tibi labor impendendus erit, ut hanc verbi di-
vini

vini virtutem, fidei tuæ commisis, applices? Qua autem ratione hoc fieri debeat, & quomodo oporteat Episcopum *ἐρεθισμῶν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας*, 2. Tim. VI. 15. qui illud addisces, nisi eo, quo Paulus, modo? quem explicat 2. Cor. I. 4. inquit: *Benedictus esto Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater ille miserationum & Deus omnis consolationis: consolans nos in omni afflictione nostra, ut possimus in quarvis afflictione positos consolari, ea ipsa consolatione, qua nos ipsos consolatur Deus.* Ea itaque recte auditorum tuorum animis applicabis, quorum virtutem menti tuæ applicatam expertus es. En! tantum te in studio Theologico proficere, quantum in pietate.

§. V. Quia vero & huic scopo ordo quidam lectionis instituentæ determinandus est; optimè sibi consulat, qui maxime perspicuos, & nulla difficultate obscuros Sacri Codicis libros, primò legendos sibi elegerit; neque peccabit, si hujus rei examen ex suo judicio & cordis sensu instituet. Sed nec à scopo aberrabit, cui, absoluto N. Testamento, integra Biblia continua lectione perlustrare est animus. Si quoque peractum opus repetierit aliquoties, impen si laboris nunquam eum pœnitebit; hoc solum obseruato, ut scopi præfixi memor, in locis difficilioribus non immoretur, sed protinus pergat, non omnia una vice perscrutaturus.

*Ordo lectionis
Biblicæ.*

§. VI. Ab hoc scopo non erit alienum, sed permagnæ potius utilitatis, si studio Biblico jungatur Philologicum; si conjungi demum possunt, quæ indissolubili ferè vinculo sunt connexa. Verum etiam hic utiliora sunt præferenda utilibus, Græca Hebraicis, Hebraica Chaldaicis, Chaldaica Syriacis aliisque linguis orientalibus: quorum quicquid addideris, recte egeris, si non in vocabulis & regulis solum grammaticis hæseris, sed genium linguæ quasi familiarem & vernaculum tibi reddideris.

Studium Philologicum.

§. VII. Quoniam autem etiam ex cognitione Geographica, Historica, Chronologica ejus temporis, quo quisque scriptus est liber, adjumentum quoddam sapissime peti potest, ad comminuendum corticem; non raro illius ope destituitur

*Geographia,
Historia, Chronologia.*

tuetur, qui nucleum esse vult, nuce ipsi integra. Quandoquidem vero non parum laboris huic studiorum generi a Theologiae studiosis sapissime impenditur, ei parti plurimum inferre praestaret, quae scopo generali maxime esset conformis. Anne quoque eo respectu Iosephus Livio, Sulpitius & Eusebius Salustio sit praferendus, nulla forsitan disceptatione opus est.

Commentarii,

§. VIII. De commentariorum usu dicendum restat, sed praemonendum quoque: Ne quis perspicillo utatur, ubi ipsum Deus oculorum acie instruxerit, nec microscopio adhibito perlustret elephantem. Curiosa namque nimis rerum minutissimarum indagatio, confundit lectorem sapius, quam quaesita eruditionis incrementum adfert. Ubi vero haeserit Eupnuchus Act. VIII. 31. tutò in subsidium vocari potest Philippus, sed Philippus, hoc est, vere Spiritu S. instructus interpres. Quisnam autem horum via ducum delectus sit habendus, de eo Stephani Gauffeni potius verba ex dissert. de Studio Theol. huc referam, quam mea; sunt vero haec: *Cum commentatores dico, eos intelligo, qui scripturam brevibus, & ad sensum literalem accommodatis observationibus illustrarunt, non, qui occasione scripturae scholas suas (quas vocant vulgo locos communes) in medium protrudunt; quibusque adeo libri sacri non tam sunt commentationum argumentum, quam praedictorum loci quidam atque indices: vel qui scripturam S. per analyses, juxta Dialecticorum regulas, artificialiter resolvunt; nihil enim aliud sunt ille analyses, (ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν) dico, nam & hic exceptio suum locum inveniat) quam, ut Iosephus Scaliger scite solitus erat dicere, potius ignorantiae, inanis loquacitatis campus, & ἀβυσσὸς ἀείας pabulum: nam, qui quemq; vel clarissimum versum in praedicatum & subjectum, & praedicati & subjecti adjuncta, tanquam in fila tenuissima diduxerunt, sibi aliquando belli homines videntur, cum sint saper de meri; quod enim tanto conatu, tanta circumspectione verborum vix duodecim paginis concluserunt, id vir cordatus saepe verbo expedit.*

Regulae hermeneuticæ.

§. IX. Complures hic regulae hermeneuticæ enumerari possent; De articulorum fidei propria sede, de locorum parallelorum

lelorum mutua collatione, de concordantiarum (uti dici solent) usu, aliisque quam plurimis. Sed quia id, quod sacra Scriptura cum aliis libris commune habet, communibus hermeneuticæ artis regulis est dijudicandum; in spiritualibus vero sensus, per habitum in hoc campo exercitati, omnium artium regulas superant: tanto jam erimus breviores, quanto frequentiores hac de materia in omnium manibus editæ ab illustribus viris manuactiones.

CAPVT IV. DE STUDIO SYSTEMATICO.

§. I.

Studium systematicum dicimus illud, quo articuli fidei, ex verbo divino haustæ, in certum ordinem, & ut dici solet, methodum rediguntur, unde & *methodicum* est. *Primariò scopus principalis respiciendus est.* Theologiæ *studium* appellari potest. Quod, eodem modo, ut studium Biblicum, & ordine, qui primario Theologici studii scopo conveniat, & inchoandum est & continuandum.

§. II. Quia igitur jam sæpius monitum est, ut lac sibi fumant infantes in Christo; eadem & hic observanda est regula. Si ergo, post veram mentis ad Deum conversionem, *systema, Cathedris minor.* *Convenientissimum Theologia tyroni Systema, Cathedris minor.* quoddam Theologiæ studioso est eligendum, cujus ductu meditationes instituat, & quod in succum & sanguinem vertat; equidem nullum aptius, nullum communi plerorumque Theol. studiosorum scopo convenientius novi, quam minorem Lutheri Catechismum. Taceo, quod tam sint pondera in aureo hoc libello, quam verba. Quot vero sint, qui pœnas dant contemti huius Catechismi, cum auditoribus ipse fuerit explicandus, ubi nullæ definitionum subtilitates, nullæ distinctionum tricæ locum inveniunt; tristis hoc docet experientia.

Deinde Enchiridia alia.

§. III. Hoc probe cognito, (cognitum autem esse ab iis, qui indignum adultis puerile hoc studium judicant, non credo) sat cito prolixiora eliguntur. Verum & hic delectus est habendus, nec statim in amplum se diffundere campum conducit; sed unicum ad manus sumendum, quod *nec sua tenuitate exsanguie, nec sua prolixitate grave.* Qualia sunt, Chemnitii Enchiridion, Hutteri compendium, Hunnii epitome credendorum, seu, quæ præscriptæ methodo maxime conformes, Tabulæ Catecheticæ Spenerianæ, ideoque merito hoc præcipue respectu præferendæ. Et quoniam omnis systematum lectio præprimis eo derigenda, ut facilius ex fonte ipso, qui est Scriptura Sacra, veritas hauriatur; præ ceteris talia seligenda sunt, quæ illuc potissimum tendunt.

Definitiones.

§. IV. Unum vero si quis crebra lectionis repetitione sibi familiare quasi reddiderit, bene egerit, utpote qui & refugium quotidiani in hoc genere locum sibi comparavit, & viam progrediendi ulterius. Rebus singulis ex Scriptura indagatis, definitiones quædam receptæ, memoriæ mandari possunt, sed summa adhibita cura, qua res definitæ cordi mandentur, & definitionis veritas experientia ipsa probetur. Quod si omisum fuerit, non nisi Philosophicam de rebus Theologicis descriptionem se addidisse credat, memoriæque onerasse, non mentem excoluisse.

Distinctiones.

§. V. Eadem regula circa distinctiones usitata est observanda, & hæc sollicitudo, ut distinctionum fundamentum, in Scriptura Sacra & praxi religionis ipsa, perspiciatur. Quod enim hac basi non innixum fuerit, sive definitionum sive distinctionum nomine venditur, in schola Philosophica valeat quantum possit, in Theologicis Matæologia est vilissimi pretii.

Argumenta probantia.

§. VI. Præprimis vero studendum, ut argumentorum, probantium nervi & pondera menti imprimantur, una cum locis Biblicis, ex quibus desumpta. Non autem volumus, integrum eorum Catalogum uno eodemque modo esse tractandum; sed cujusvis loci Theologici locus præcipuus in Scriptura u-

nus



nus & alter præ reliquis est tenendus, ad quem ceteri, ut paralleli, referri & adscribi possint. Verum & hoc monere quam maxime necessarium est; non sufficere, si quis citata dictorum verba, sine antecedentium & consequentium perillustratione, legerit: sed in contextu aspicienda verba sunt, & videndum, numquid vel obstaculi vel roboris afferant, quæ vel antecedunt vel sequuntur; ne improvisa quædam obiectio neglectæ hujus regulæ pœnam sumat, dum tela, non prævisa, plus sæpe nocere solent, quam pro levitate sua possent alias.

§. VII. His recte peractis, sat amplum patet spatium *Systemata majoribus.* in majoribus Systematum voluminibus exspatiandi; qualia sunt Chemnitii loci communes, Gerhards loci Theologici, Brochmanti Systema; Cursus concionum, quas habuit per annum, iisque Theologiam absolvit, lumen Ecclesiæ nostræ Spenerus, aliaque. Quorum vero & hic delectus est habendus, ut semper præferatur, quod simplicitati Biblicæ, & hinc vere Theologicæ, maxime conforme fuerit.

§. VIII. Scholasticam quod attinet Theologiam, ad eam merito applicatur, quod ad Tit. I. v. 15. Paulus inquit: Mundis omnia sunt munda, immundis vero & infidelibus omnia sunt immunda. Qui in sacrario divino nihil, quod discat, amplius invenit, quæ sibi de Theologicis rebus Scholastici meteora fingant, perspiciat. Non autem potest aqua vitæ eum implere locum in vase quodam, quem implevit ventus: experientia enim teste, tantum expellitur aeris, quantum immittitur aquæ. Si qui equidem, exemplo beati Musæi Jenensis, peculiari judicio ac prudentia instructi sint divinitus, ad gemmas ex hujusmodi Enniorum stercorebus colligendas, sua laude neutiquam privandi sunt: id quod perpauci tamen majore lucro, quam damno assequuntur. Caterum nec hic prolixum esse juvat; qui enim secundi capitis regulas recte observaverit exercueritque, regula Johannotica quam optime utetur, i. Joh. II. v. 27. *Unctio, quam vos accepistis ab eo, manet in vobis; nec necesse habetis, ut quisquam doceat vos; verum sicut eadem unctio docet*

cet vos de omnibus, que & verax est, & non mendax: & sicut docuit vos, maneat in eo. Ceteris vero, furdus narratur fabula.

Speneri judi-
cium.

Interim adjungemus celeberrimi Speneri de Theologia Scholastica judicium ex præf. ad Tabul. Hodof. Danh. *Quid vero aliud est Theologia Scholastica, quam monstrum, ex nefaria commixtione Aristotelica Philosophiæ & Christianæ Theologiæ, argutarum & otiosarum questionum, tricarumve, atque sententiarum, ex sacris literis pro arbitrio hominum depromptarum? Unde nemo miretur, Heroa nostrum Lutherum, damno, quod ex illa commixtione impura cœlesti doctrine datum fuerat, conspecto, ita indignatum esse, ut durioribus aliquando in Aristotelem uteretur verbis, non quidem quàm ille cum amasiis suis merebatur, sed quàm nunc forte delicatioris aures sine nausea sufferre possunt.* Nihil porro unquam aptius de eadem scribi potuit, quam quod nobis notavit Joh. Ger-

Joh. Gerhardi.

hardus Sect. V. cap. IV. Method. stud. Theol. *Gravi ac salutari consilio B. Lutherus Scholasticam Theologiam ex scholis nostris eliminavit, & ad limpidissimos scripturarum fontes unice nos revocavit. (lib. advers. Latomum scribit, Scholasticam Theologiam nihil aliud esse, quam ignorantiam veritatis & inanem fallaciam.) absit igitur a nobis quam longissime, ut eam in cathedras nostras postliminio reducere, & inventis frugibus, glandibus iterum vesci velimus. Rupertus Gallus ante 300. annos scripsit in libro quodam Lutetia ante centum annos edito, in visione sibi revelatum esse, doctrinam in ecclesia ad hunc modum se habere, veluti si quis in regno candidissimos saluberrimosque panes gestaret, & tamen interim famelicus silicem manibus terendo arroderet.* Plura, quæ pie maxime de scholasticæ Matæologiæ fœditate differit, citato loco non sine fructu legi possunt, quorsum benevolam lectorem ablegamus.

CAP.

CAPUT. V.

DE STUDIO POLEMICO.

§. I.

IN hoc studii Theologici genere vere impletur illud vaticinium Christi, Math. X. v. 34. 35. 36. *Abusus hujus studii.* *Nolite arbitrari, me venisse conciliatum pacem in terris: non veni conciliatum, pacem, sed bellum. Veni enim ad dissociandum filium a Patre suo, & filiam a matre, & nurum a socru, ita ut homines inimicos habituri sint suos domesticos.* Si enim hujus studii praxin quotidianam aspicias, mandatum, putes, credere Christianos, non vaticinium, hoc Christi dictum. Quantum sit in Academiis eorum numerus, qui omnem se Theologiam absorbuisse putant, si unam atque alteram Doctorum suorum opinionem defendendam, aut quam alteri sapissime affinxit malevolus, refellendam uno alterove argumentulo didicerint; dicta & scripta produnt, modo in hodiernum diem extendenda sit veritas verborum Christi Matth. XII. v. 34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Turgent namque instar follis fabrilis extensi, usque dum emittere conceptum aërem gravida mens potest: cui orationi aptum plerumque exordium conscripsit Elihu Buzita, Job. XXXII. v. 17. seqq. inquit: *Contradicam ego quoque pro mea parte, affirmam & ipse meam sententiam. Nam oratione plenus, pectoris mei spiritu urgeor. Meum quidem pectus, in cluso vino simile, crepat, ut utres novi. Loquar, ut habendo sermone & contradicendo recreer. Neque vero cujusquam rationem habebo, neque ulli homini indulgebo, quippe indulgenti nescius: alioqui periculum esset, ne me tolleret meus creator.*

§. II. Abstinendum veræ Theologiæ studioso a futile *Vera Theologia Polemica.* hac arte Thraonica, non Theologica, ac discendum, hac quidem in materia verum esse proverbium Luc. IV. v. 23. *Medice, cura te ipsum!* Quid enim eoticam curare litem juvat, quamdiu intestina seditione viscera lacerantur? Illuc igitur ani-

animus est applicandus, ut, qui in sinu fovetur, Atheus, Schismaticus, Hæreticus, prius excutiatur: hac primum trabe ex oculis propriis exenta, tempestive prospici potest, ut, quæ in oculo proximi est, festuca extrahatur. Quod si vero nimis sedata interna hæc res publica cuiquam videtur, ut exercitium externum bellatoriz suæ arti necessarium ducat; videat is, ne dominatores facti sint, qui ipsi timendi sunt hostes, ficta quietis larva subjugem decipientes. Eo igitur studium Polemicum dirigat veritatis amator, ut, qui in se ipso sunt, errores prius detegat & refellat; memineritque, & experiat, nullum errorem apud alios reperiri, quem non natura sua ipsius corrupta penes se abditum habeat. Conf. exemplum Apol. A. C. p. 113. Dein probato, in hac pugna, veritatis robore, non dubitet, quin etiam externum aggressorem eo felicitius retundendi facultas secutura sit.

Hæretici.

§. III. Duo vero hic monenda sunt: alterum de hæreticis antiquis, de modernis alterum. Per antiquos intelligo, qui publica jam autoritate quadam in hæreticorum catalogum relati sunt: per modernos vero, quibus cum ipse bellum suscipere conaris. In illis rejiciendis nomine consueto, sive a ficto, sive vero erroris autore, derivatum hoc olim sit, uti potes; sed cave, ne erga hominem, cujus nomine fictus sapissime error insignitur, idem tibi sit affectus, qui erga errorem ipsum; neve omni facto subscribas, dum juris quæstionem approbas. Indignum sane, prius de appellatione bellum gerere, antequam, quid de sententia iudices, audiaris. Hæresin, ergo nomine consueto, non vero hæreticum, nisi convictum, nominare liceat.

Caute censendi.

§. IV. Alia longe methodus est obseruanda in iis, quorum vel scripta vel dicta, sive superstitum, sive defunctorum, dijudicanda ipse in forum accerfis. Reus ipse, vel in dictis, vel in scriptis, est audiendus, nec censendus ex una alterave loquendi formula, sed ex universa doctrinæ ejusdem harmonia & analogia. Quanto enim cautiores in adhibendis loquendi formulis nos ipsos esse jubet Christiana charitas, ne vel

impe-

imperito scandalum, vel malevolo calumniandi occasionem praebeant. us: tanto magis ut memores simus, eadem praecipit, infirmitatis humanae, perfectumque eum esse, qui ne verbo quidem peccat; si quid obscurioris aut insueti in aliorum dictis reperiamus. *In sensu, non in verbis, est haeresis; dicebat Hieronymus suis calumniatoribus.* vid. Balduin. Rom. cap. II. quaest. 8.

§. V. Adversariorum autem aperta & pertinacis contradictionis theses & argumenta, quibus veritatem evangelicam impugnare student, ex ipsis eorum scriptis rectius addiscuntur; quo verus controversiae status simul, & πρῶτον ἰεῦδ' eo certius perspiciatur, nec caeteri cuidam quidquam affingatur, quod a se non sine fundamentum remove queant. His recte cognitis, perspiciendum quoque, quoclypeo unumquodque telorum ipsorum excipi possit; praecipuis vero, qua ratione fundamentum erroris cujusvis sit, evertendum, ut hoc sublato universa argumentorum strues corruat. Non ideo vero ad Doctorum volumina statim confugiendum, sed cuivis tentandum, *quid valeant humeri, quid ferre recusent*: nam si Theticæ, uti dicitur, Theologiae fundamenta, ea, qua decet, firmitate posita sunt, tantum inde auxilii peti potest in bello hoc Theologico, quantum a regula ad dijudicandam lineæ male ductæ curvitatem. Ubi vero domi subsidia deficiunt, sat cito extrinsecus auxilium quaeritur.

§. VI. Cavendum autem hic quam maxime, quod unum *Elenchi abusus.* niverli studii Theologici pestis est, ne in pompa geratur hoc Domini bellum, cura que gerenda, ut legitimo geratur Domino. Quo jure in cathedris ecclesiasticis summo cum fervore, ne dicam furore, sapissime detonetur contra haereticos, quorum nec nomina nec omina unquam plebeculae cognita fuissent, nisi saepe repetitus de hoste ejulatus auditoris excitasset curiositatem, ad videnda vel in scriptis vel in dictis ejusmodi monstra, quorum vel memoria tam anxium Praeconem suum reddat, ipsi viderint, quibus & de his verbis, cujus fuerint frugis,

D

ratio

ratio aliquando reddenda erit. Exempla vero docent, temerarios istos hostium absentium aggressores, presentibus supplices manus porrigere, ipsis potissimum Atheis, qui vel avaritia sua providentiam, vel protervitate sua iustitiam divinam negant, & Hæreticis, qui non solum contra omnia Decalogi præcepta errores capitales fovent, sed & integrum de Spiritu S. & sanctificatione articulum rejiciunt. Militiæ igitur divinæ nomen daturus, ante omnia sollicitus sit, ne ipse adhuc in castris Satanz hæreat; nec tantisper ad aliam vicinam ejusdem domini cohortem aggrediendam se accingat, a qua nullum adhuc ipsi periculum est. Accidit enim, ut ideo quis speculator alterius a Satana sit constitutus, ne sua sociorumque insignia observet; vel, ut adhibito fallaci perpicillo, exercitum Altissimi, Satanz gregem judicet.

CAP. VI. DE STUDIO HISTORICO.

§. I.

Ufus historiae ecclesiasticae.

Cum studio Polemico intima connexionione cohæret illud historiarum ecclesiasticarum, in cæteris tractantis sequentia; quibus coloribus usi fuerint crucis Christi hostes, ad exornanda hujus seculi phantasmata, & qua arte se muniverint veri Christi discipuli, ne his meteoris & ipsi seducerentur. Quamplurimum hac meditatio contribuit ad confirmationem mentis in agnita veritate divina: quod ipsum etiam Paulus expertus, auditoribus suis commendat Ebr. XII. v. I. Nam, recensito Veteris Testamenti fidelium catalogo; proinde, inquit, nos quoque tanto circumsepti nimbo tenebrarum, deposito omni onere, & nos ambiente peccato, patienter decurramus propositum nobis certamen.

Subjectum, circa quod versatur

§. II. Non enim cognitione hæresium & conciliorum hoc studium absolvitur, sed in omnibus agni pugna & draconis

nis est observanda, & quomodo in his omnibus occultum Dei iudicium exerceatur. Eo si mens intenditur, intimius perspicere dabitur, quam si in nuda historica narratione animus requieverit.

§. III. Multum quidem juvat, externam quoque faciem reipublicæ Christianæ, quam quovis seculo habuerit, novisse; sed internam negligere, esset nihil aliud, quam regnum Christi externæ observationis statuere. Non ergo dominantis solum cleri magnificentia est attendenda, ut in Eusebio notari solet; sed piorum quoque pauperulorum suspiria & desideria, intimiorem ecclesiæ statum prodentia. Sed utinam in promptu essent ejus generis permulti historici, qui, in describendo ecclesiæ Christi statu & incremento, ante oculos & animum semper sibi positum habuissent dictum Christi Matth. XIX. v. 36. *Regnum meum non est hujus mundi.* & illud Pauli. I. Cor. IV. v. 20. *Non consistit verbum Dei in verbis, sed in efficacia.*

In primis interna ecclesie facies est observanda.

§. IV. Quod si recte observatum fuisset, & simul etiam hoc; non uni terrarum angulo catholicam Christi ecclesiam inclusam esse, atque hinc in describenda ecclesiæ historia etiam aliarum orbis regionum rationem esse habendam: multum sane id conferre potuisset, ad intelligenda rectius vaticinia; in quibus explicandis & eam ob causam sæpius forsan erramus, quod, quæ in circuitu Europæ nostræ non comprehensa sunt, excludamus quasi, eorumque vel nullam plane, vel satis exiguam rationem habeamus.

Oecumenicæ ecclesie respectus habendus est.

§. V. Multum huic studio confert, Patrum, conciliorum & decretorum lectio; quia ex hac addiscimus, quænam quovis tempore vel fidei dogmata sint sive impugnata, sive stabilita, vel morum sive corruptio, sive correctio observata. Quorsum quoque referendi sunt libri nostri Symbolici, tanquam publicæ dogmatum ecclesiæ reformatæ confessiones; quippe qui tanto accuratius cogniti Theologiæ studioso esse deberent, quanto arctiore vinculo, huic loquendi formulæ, ipsa lingua est adstringenda. Dolendum vero quam

Lectio Patrum & librorum Symbolicorum.

maxime, quod ultimis hisce temporibus, fide quadam carbonaria, candidatorum ministerii quamplurimi jurent in librum, quem multi ne viderunt quidem, pauci perlegerunt, paucissimi ad scrutinii accuratioris trutinam revocarunt. Eadem sunt fata scriptorum Lutheri nostri, quæ, cum notissima esse deberent iis, qui γνώσις ipsius sectatores vocari amant, tanti multis sunt pretii, ut, verentes, ne manibus suis terantur, ea ne attingant quidem, sed tineis ac blattis perlegenda permittant.

CAP. VII. DE PHILOSOPHIA, SEU SAPIENTIÆ STUDIO.

§. I.

*Philosophia
nomen.*

Notum est plerisque, Philosophiæ nomen ortum suum traxisse à Pythagora, qui usitatum antea in Græcia nomen σοφία recusavit, & amator potius sapientiæ, ac sectator ejusdem, quam sapiens, ut jam affecutus, quod venabatur, dici maluit. Neque hæc à pietate alienam esse sententiam, docet Paulus Rom. XVI. v. 27. Deum μόνον σοφόν appellans. Quod idem quoque indicat autor libri sapientiæ, qui Salomoni adscribitur; cap. VII. vers. 25. 26. 27. sapientiam his describens verbis: *Est (sapientia) quidam vapor divine potentie, & sincera gloriæ omnipotentis effluentia; quo fit, ut nihil in eam cadat polluti. Est enim lucis æternæ splendor, & intaminatum actionis Dei speculum, & imago bonitatis ejus. Et quum sit una, omnia potest: & in se ipsa permanens, omnia renovat, & per secula in sanctas animas migrans, Dei amicos & vates efficit.*

*Philosophia
serm.*

§. II. Hujus σοφίας φίλον & verum Philosophum a teneris se fuisse, Salomon non in sapientiæ solum hoc libro, sed

fed & in eo, qui proverbialiter inscribitur, effatur passim, omnes ad hanc Philosophiam, & hoc sapientiæ studium, exhortans. Quinam vero hujus Philosophiæ & sapientiæ studii ortus sit & progressus, cap. VI. v. 13. 14. 15. 16. -- 20. idem explicat: *Praeclara est, ait, que nunquam marcescat sapientia, & facile a suis amatoribus cernitur: & a quibus queritur, ab iis invenitur; ultero se cupidus offert cognoscendam, nec ejus causa vigilanti laborandum est: assident enim foribus suis inveniet. Nam de ea vel cogitasse, prudentiæ perfectio est: & qui propter eam vigilaverit, cito securus erit. Nam se dignos ipsa circumeundo querit, eiusque per vias comiter apparet, & omni studio occurrit. Ejus enim initium est verissima discipline cura: charitas autem est ejus legum observatio: legum cura est integritatis confirmatio: integritas Deum propinquum facit: Ita sapientiæ cupiditas (Philosophia) perducit ad regnum. Conf. cap. VII. & VIII.*

§. III. Sed hæc Salomon; Quem sequi videntur *Patres*, præsertim *Greci*, qui Theologiam ipsam, passim nominare Philosophiam solent. Quid vero de Philosophia senserint Ethnicorum sapientiores, Cicero nobis narrabit ex libro primo de legibus in fine. Ubi hæc reperimus verba. *Ita est, ut mater omnium bonarum artium sapientia sit; a cujus amore Græco verbo Philosophia nomen invenit: quæ nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est. Hæc enim una nos, cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cujus præcepta tanta vis, tanta sententiæ est, ut ea non homini cupiam, sed Delphico Deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum aliquid senties se habere divinum, ingeniumque, in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid & faciet, & sentiet: & cum se ipsum perspexerit, totumque tentavit; intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam, adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omnium, quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit: quibus illustratus, sapientia duce, bonum virum, & ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.*

*Ciceronis de
Philosophia
judicium.*

Nam cum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemque sicut labem aliquam dedecoris opprresserit, omnemque mortis dolorisque timorem effugerit, societatemque carnis eiecerit, tum suis, omnibusque natura conjunctos suos duxerit, cultumque Deorum & puram religionem susceperit, & exacerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda & rejicienda contraria; quae virtus ex providendo est appellata prudentia: quid eo divi, aut excogitari poterit beatius? idemque cum caelum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale & caducum, quid divinum aeternumque sit, viderit, ipsamque ea moderantem & regentem pene prebenderit, seseque non unia circumdatum moribus popularem alicujus definiti loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis, agnoverit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu, & cognitione natura, dii immortales, quam ipse se noscet, quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae vulgo dicuntur amplissima!

Differentia, &
convenientia
Philosophia Sa-
lomonis, & Ci-
ceronis.

§. IV. Quodsi quis tam adducta Salomonis verba, quam ea, quibus in aliis utriusque libri capitibus utitur, cum verbis Ciceronis contulerit: videbit quidem; tantum Ciceronem distare à Salomone, quantum qui somnians se ad certamen accingit, ab eo, qui emenso curriculo trophæum abstulit; & tantum differre Philosophiam Ciceronianam à Salomonea, quantum larva ab homine. Verum in hoc ambo conveniunt; Philosophiam non esse fabulandi artem, in nomenclatura quadam technologica, & axiomatibus hujus illiusve Præceptoris quibusdam consistentem: sed practicum quendam habitum perveniendi ad summum bonum. Quamvis igitur toto cælo erret Cicero, naturalem hominis statum tantis laudibus evehens, viresque naturæ prædicans; quamvis quoque de vero summo bono ne minimum quidem perferat, extra persuasionis cujusdam & hujus vitæ limites illud extendere nesciens; ad hæc in mediis, perveniendi ad præfixum scopum, nimium quantum fallatur: in hoc tamen cum Salomone consentit; veram Philosophiam consistere, in agnitione, primo sui ipsius, secundo perfectionis & gloriæ, ad quam

quam pervenire homo debeat, tertio *mediorum*, illuc ducen-
tium; cunctaque huc non facientia ad *μεσολογίαν*, non Philo-
sophiam pertinere. At enim hic quomodo ad inferiora de-
scendendū, quænam sint hujus Philosophiæ partes, & quisnam
earundem in Theologia usus, jam non definiemus speciatim.
Quantum quælibet disciplina huc conferat, sollicitus veritatis
indagator facile assequetur, modo veram Philosophiæ indole-
m, quam patefecimus, una cum fine observaverit. Neque
enim nunc in eo sumus, ut methodum scribamus Philoso-
phicam.

§. V. Quoniam vero inficias ibit nemo, Philosophiæ *Abusus Philoso-*
abusum facillimum esse, contra eum animadvertenda puta- *phia.*
mus potissimum hæc duo; primo, ut animus, antequam do-
ctrinis Philosophicis plenius se imbuat, ex Scripturis Sacris
articulorum fidei & notitiam & efficaciam fideliter imberit;
secundo, ut semper caveat, ne principia rerum naturalium,
adsumat ita simpliciter, ut iis, tanquam heterogeniis, teme-
rarius saltus, quo nihil turpius est, in divina & supérnaturalia
committi possit. Hoc enim malum quantum Ecclesiæ detri-
mentum attulerit, ipsa A. C. Apologia exemplis plurimis te-
statur. Qua de re coronidis gratia adjungemus iudicium Corn.
Jansenii, Episcopi Yprensis, Augustin. T. 1. L. 6. cap. 18. p. 154.
Judicium Cor-
nel. Jansenii.
Si Pelagianum errorem ad primum, unde manat, fontem, velis redu-
cere, non aliunde quam ex Philosophorum gentilitum placitis consu-
rum deprehendes; neque enim aliud quicquam est totius heresis illius
apparatus, nisi pura & pura Pythagorica, Stoica & Aristotelica Phi-
losophia: ut quod olim uniuersim de hereticis dixit Tertullianus, de
nullis verius, quam de Pelagianis cum Hieronymo dici possit, hereti-
corum Patriarcha Philosophi. Iterum T. 2. Proem. c. 3. p. 3. De-
prehendi, nisi fallor, plerosque, qui scholarum pulpitis, ad enodandas
scholasticæ, hoc est, methodicæ Theologiæ difficultates admoventur,
multos annos prius in Philosophiæ palastra versatos esse, nec vere ido-
neos isti Theologiæ contentiose proficunda judicari, nisi ante non exi-
quam atatis partem in Dialecticis & Metaphysicis speculationibus tri-
uerint; quod quamvis usum salubrem sane habere possit, ut exerce-
antur istis difficultatibus & limentur ingenia: hinc tamen etiam, ex-
perien-

peritencia teste, nascitur, ut, cum in hujusmodi junior eorum atas valentiorque consumpta est, vix tempus eis idoneum reliquum esse possit, quod genuinis Principiis verae Theologiae pervolvendis penetrandisque tribuatur. Itaque quotiescunque latet eos, quid in gravioribus aut arcanioribus nodis vel sentiendum vel dicendum sit, non eis cura est, quae esse deberet, quid vel scripturarum sacrarum autoritas, vel veneratione Patrum canities consulta respondeat; sed statim ad Philosophiae praesidium, velut ad omnium solutionum armamentarium sese conferunt, atque ejus regulis tanquam sacrosanctis, mysteriorum altissimorum monumenta metiuntur. P. P. Nempe de rebus istis Theologi is plerisque valde arcanis homines, Aristotelicis disciplinis instructissimi, securè & magistraliter disputant, & quia quidlibet in scholis adversus quoslibet Dialecticæ praesidio sine magna difficultate defendunt, nonnunquam fit, ut, quod initio vel timide tuendum susceperint, (nisi expressè definitum sit) audaciâ victoriam, victoriâ fiduciam tribuente, mox etiam vel ipsi verum putent, vel tanquam compertant veritatem discipulis tradant. P. P. Alia quoque non minus perniciofa labes, NISI MENS MAGNOPERE PIA HUMILITATE FUNDATA SIT, iis, qui in isto contentiose philosophiae pulvere diu versati sunt, solet adherere, ut in disputandi calore, victoriæ cupidiores nonnunquam, quam veritatis esse videantur. Ex quo contingit, ut semel examinata assertamque novam sententiam, quia jam sua facta est, mox etiam tanquam a se inventam ac traditam, aliorum esse velint. Quod vitium turpe inprimis nascitur, cum amantur pro patula & famigerula in disputando certamina; quod non cum desertis Philosophiae classibus mori, sed una cum innumerabili Philosophicarum questionum farragine ad sacratiores Theologiae pluteos transferri, & ad denotanda Dei mysteria in tractatus Theologicos, quasi Philosophico acumine commendata, transfundi solet. Cujus ineptiae monstrosa pene exempla, in quibusdam scholasticorum antiquorum scriptis, videre licet: ut eos nihil magis formidasse putes, quam ne Theologi facti Isagogen Porphyrianam aut Aristotelis categorias & analytica de manibus deposuisse videantur. Idem T. 2. L. 2. c. 2. p. 328. Quia Plato cû sectatoribus suis longè diviniore doctrina, propter quam quidam Philosophorum quasi Deus appellari meruit, sensuumq; majestate transgressus est, & illa humana virtutis & felicitatis adu-

teria,

teria, quæ vel ex officiorum dilectione, vel creata cujuscunque naturæ contemplatione nascuntur, ignoravit aut improbovit; hinc est, quod tantopere de dilectione & contemplatione Dei, de purgatione animi tanto bono cernendo fruendoque necessaria, de infirmitate, quam sentiebat, virium humanarum, de diviua opiculationis necessitate sategerunt. Ex quo etiam factum esse cernimus, ut, quamdiu abjectior illa Aristotelis Philosphia ab Ecclesia pulpitis exulavit, nihil de hujusmodi dogmatibus, vel etiam pure naturæ lenociniis, in latinorum scriptis Cypriano, Ambrosio, Augustino, Prospero, Fulgentio, usque ad Scholasticorum secula audiat. Simul atque vero seu per Pelagianos, quos tanquam semias Aristotelis disteris amarioribus Augustinus irridet, seu per sobolem eorum presbyteros Masilienses, quorum pestifer balivus scriptis adhaerescens ad posteros propagatus est, seu multo magis per eos, qui Aristotelem in Ecclesia scholis velut normam doctrinæ naturalis sectandum esse statuerunt; minutiloquium rerum naturalium Christianis admirationi fuit, naturæ vires, virtus, beatitudo, quas à Philosphis, humani lapsus, & conditoris & beatoris ignavis, omnino naturalia illesaque predicari audiebant, commendari ceperunt. Et quia meminerunt, se esse Christianos, hominem supernaturalem & naturalem, velut arcam cum Dagon in una eade collocarunt, pulcherrimam compendiosissimamque methodam se reperisse rati, ne redemptoris gratia laderetur. Quicquid enim de diviua gratia in scripturis predicari sentiunt, hoc homini illi supernaturali applicant; quicquid in Philosphis de viribus voluntatis, de virtutibus Philosphorum, de beatitudine, naturæ potestate comparanda, naturali. Et quod deterius est, dogmata nonnulla, filium Philosphie sectando, Philosphorum Peripateticorum adjecerunt fundamentis, quæ tamen ab illis non didicerant, quæ canities Ecclesie vetustioris exhorruerat. Cum enim ex Christiana doctrina, Platonica consentiente, didicissent, nulla rerum creatarum dilectione vel fruitione beatam esse posse creaturam, Deum quoque finem hominis naturalem esse, puræque naturæ viribus & adipiscendum diligi, & fruendum pia contemplatione cerni posse docuerunt. Iterum T. 2. L. 4. c. 15. p. 253. Nimirum ne Philosphie Peripateticorum atque Stoicorum de virtutibus atque operibus bonis pessum iret, a viris doctis & bonis manus Augustino injectæ sunt. &c. T. 3. L. 6. praef. p. 225. Neque enim est aliud

E

quic-

quicquam hæresis Pelagiana, de gratia & libero arbitrio, quam puraputa Aristotelica Philosophia, sicuti suis locis ostendimus. Quid vero Aristoteles, vel quisquam alius gentilis Philosophus, de gratia in ipsam voluntatem operante, vel audivit unquam vel suspicari potuit?

CAPVT VIII.

DE JURISPRUDENTIA, ET ELOQUENTIA.

§. I.

*Jurisprudentia
Ecclesiastica.*

Suo sibi stent pretio, quæcunque fuerint observationes sapientiæ humanæ; tanti enim veneunt pleræq; res, quanti ex usu hominum æstimantur: non minoris utilitatis æstimamus Jurisprudentiæ præprimis ecclesiasticæ quendam prægustum, & justum eloquentiæ exercitium.

Limites.

§. II. Quibus vero dictis, studioso Theologiæ, autores esse nolumus, ut difficiliores, juris gentium, publici, feudalis, &c. &c. quæstiones, vel etiam de jure Philosophantium minutias, curiosè investiget; sed hoc monemus, ne statutorum Ecclesiasticorum ejus loci, ubi divinum verbum ipsi deprædicandum obvenit, ignarus vel sit vel maneat.

*Etiamnum ex
ignorantia
constitutionum
ecclesiasticarum.*

§. III. Ex horum enim ignorantia non raro peccatur ab optimis etiam hominibus, contra exemplum Christi Matth. III. 16. cap. XVII. 27. & dictum Petri I. ep. II. 13. Quinimo non parum inde anxietatis, sollicito officii observatori, sapissime oritur: quod ea, qua sibi visum est, ratione, mandato fungi munere, legibus prohibitum audiat, præscriptum vero ordinem, quo potestas supereff est idem efficiendi, eademque, quæ desiderat, consequendi, nesciat. Hinc frequentes sunt quærimoniarum, de impedimentis, ministerio verbi divini, per constitutiones humanas, positis: cum sæpe numero non in constitutionibus, sed in constitutionum ignorantia vel neglectu impedimenta lateant. Taceo, quod multorum privilegiorum beneficiis, ab injustis jurium æconomis priventur, qui suo

*Utilitas cogni-
tionis carnu-
dem.*

tem

tempore & loco ad eadem cum Paulo provocare nesciunt.
Aët. XVI. 37. cap. XXII. 25.

§. IV. Huc quoque referri posse censemus, quod Apo- *Testimonia*
stolus Paulus τὰ σεμνά, τὰ δίκαια, τὰ ἀγνά, τὰ πρὸς Φιλῆ, τὰ Παυλί.
εὐφημα, a Christianis observari jubet, Phil. IV. 8. Quod, dum-
modo non extendatur ad συσχηματισμὸν τῶ ἀϊῶν & τῆς τῆς, mul-
tum contribuit, ut ἀπρόσκοποι simus & Judæis & Græcis &
Ecclesiæ Dei.

§. V. Eloquentiæ vero exercitium quando commen- *Eloquentia.*
damus, non eam intelligimus, quæ vel ampullas verborum &
sesquipedalia verba protrudit, aut obscura variarum allegoriarū
necit ænigmata; sed quæ ad captum auditorum, summa di-
cendi simplicitate, se accommodare, & ex divini verbi ac re-
rum usu demonstrationem spiritus atque potentia. I. Cor. II. 4. præ-
stare novit.

§. VI. Verum, quoniam de his prolixè verba facere in- *Epilogus ex*
stituti ratio non requirit, finem dicendi faciemus verbis *An-*
carmine quo-
dam Schur-
mannico.
ne Maria à Schurman.

Sape olim veteres ego sum mirata Pelagos,
 Quis data Musarum gloria prima fuit.
Pulchrius Hesiodo, vel magno majus Homero,
 Judice me, nullum viderat orbis opus.
Jam mera credebam divina oracula voces,
 Quas celebrat septem Græcia docta virum.
Jam mihi præclaro radians Academia vultu,
 Vertice stelligerum tangere visa polum.
Attica quid memorem, quid nomina magna Lycei?
 Illa salutiferi fideris instar erant.
Quin Stoa invictæ cultrix quondam inclyta mentis,
 Flexerat in cultum pectora nostra suum.
Hæc ego tum cura & studio jactabar inani,
 In medio quarens littora tuta mari.
Ast ubi dignata est divini gratia verbi
 Clarius in nostra spargere mente jubar:
Protinus ut stellæ pereunt Titanis ad ortum,
 Palladis obscura sic periere faces.

Scilicet augustos humana scientia fasces
 Non potuit tanta non subisse Dea.
 Tum mea nectareo humectans praecordia succo,
 Coelestis visa est sic mihi Svada loqui:
 Quid facis, o demens virgo, quid quaeris inani
 Gutture Tantaleas non saturanda dapes?
 Crede mihi, insipidas, quas tellus parturit, undas
 Non animi ardentem posse levare solum.
 Quippe sui similis, non est mortale, quod optat,
 Spiritus, hoc unum pagina sacra dabit.
 Hac docet immensum complecti mente Tonantem,
 Machina quem mundi non tamen ipsa capit.
 Hic veram invenies requiem, variasque potentis
 Fortunae poteris spernere tuta vices.
 Talia nec Samii docuere silentia mystae,
 Nec placido Aetnaus prodidit ore Senex.
 Non haec legiferi memorant effata Lycurgi,
 Nec sapit hac sapiens veridicusque Solon.
 Deficit hic acies divina Platonis; hebescit
 Magnum naturae lumen Aristoteles.
 Quin bona mortalis, periculaque munera vitae,
 Hi potius summo substituere bono.
 Desine mirari speciem virtutis honestam,
 Quae genium vitii splendidioris habet.
 Quid, nisi corporei meditetur gaudia sensus,
 Gaudia vel blandus qualia somnus habet?
 At quae delapsa est alto Sapiaentia caelo,
 Altius humanis mentibus una sapit.
 Hac licet ingentes animos excuscitet, atque
 Plura tamen votis conferet illa tuis.
 Nec jubet aeternam tantum sperare salutem;
 Sed potis ante atram quemque beare diem.
 Singula quid referam, quid tentem, vocibus aures?
 Talia sentiri non nisi mente solent.
 Tibi vero, Pater laetaminum ac misericordiae / sit pro praestitis omnibus be-
 neficiis, & quod etiam in hoc opere suggestisti, auxilio, laus, honor atque glo-
 ria in aeterna secula. Adesto nobis semper Spiritus tui gratia, & tua virtute
 nos prepara, quo per nos quoque, tanquam vasa gloriae domus tua, nomen
 tuum sanctificetur, regnum tuum amplificetur, & voluntas tua perficiatur,
 per & propter Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

Hb 2720

K. Zigan
Buchbinderei

ULB Halle
002 725 045

3



VD 17

SA







EXERCITATIO INAUGURALIS, 132 2

DE
STUDIO
THEOLOGICO,

QUAM, *n. 44 by Diener de nestl.*
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
Serenissimo Principe ac Domino,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURG. &c. &c. HEREDE;

PRÆSIDE,
VIRO ADMODUM REVERENDO,
DN. JOACHIMO JUSTO BREITHAUPT,
S. S. Theol. Doct. & Prof. P. Seminarii Theol. Direct.
& Confil. Eccles. Duc. Magdeb.
PROMOTORE SUO ETATEM COLENDO; *U. 12/14/1708 p. 235
1714 p. 463. 462. 464.*

Pro
SUMMO IN THEOLOGIA GRADU ACADEMICO
OBTINENDO,
A. C. MDCCII. d. 3. Nov. horis ante & pomeridianis
publice proponit

HENRICVS LYSIVS,
Designatus, in Academia Regia Regiomontana, S. S. Theol.
Prof. Publ. Extraord.

Halæ typis Orphanotrophii 1702.